

RECTOR
ALMAE LVDOVICIANAE
IOHAN. LVDOVICVS
ALEFFELD,

PHILOSOPHIAE PROFESSOR PRIMARIVS
ET ALVMNOR. PRINCIP. EPHORVS

VNA CVM VNIVERSO
SENATV ACADEMICO
LECTIONES

TAM PVBLICAS, QVAM PRIVATAS
PER INSTANS SEMESTRE HIBERNVM
AB OMNIVM FACVLTATVM

PROFESSORIBVS
HABENDAS

INDICIT, ET AD EAS SEDVLO AVDIENDAS
GENEROSOS NOBILISSIMOSQVE

ACADEMIAE CIVES

PERAMANTER INVITAT.


DIE VII SEPTEMBR. ANNO MDCCCXXXIX.

SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORI.



G I E S S A E,

TYPIS EBERH. HENR. LAMMERS ET IOH. IAC. BRAVN,
VNIV. TYPOGR.



In Facultate Theologica.

D. REINH. HENR. ROLLIUS,

Facult. Theol. b. a. Decanus.

IN tradenda, ductu Introductionis *Sandbagenianae*, Harmonia Evangelistarum, *publicis lectionibus* bono cum Deo perget, id operam daturus, ut unius anni spatio ad finem ea perducatur. *Exercitium* quoque *disputatorium* in *Syllogen Fechtianam*, binis post meridiem horis continuabit, ipsasque simul theses breviter enucleabit. *Privatim* lectiones *dogmaticas*, superiore semestri absolutas, hora VIII. de novo inchoabit, Compendium *Baierianum*, historia dogmatum passim inspersa, perspicue explicaturus, & quo pacto singula ad praxin pietatis dirigenda sint, commonstraturus.

D. IO. HERM. BENNER

P. O.

A*lteram partem theologiae naturalis*, eadem methodo, qua *priorem* absoluit, *publice* proponet. *Privatim* fidei christianae *dogmata*, ordine systematico tradere perget, non omissis potioribus controuersis, & historiae ecclesiasticae momentis. *Theologiam* praeterea *moralem*, ad finem, Deo fauente, perducet.

M. HENR. DAN. MULLER

Prof. Theol. extraord.

IN lectionibus *exegeticis* publicis & *polemicis* priuatis, si ita visum fuerit Deo, sedulo perget, id operam daturus, vt ille labor hoc semestri absoluat. Scholas quoque aperiet *homileticas*, eorumque desiderijs, qui cognitis antea artis homileticae regulis, in *elaborandis concionibus* se exercere, suasque explorare volunt vires, satisfacere allaborabit. Deus T.O.M. in omni, quod molimur, opere, sua nobis adsit immensa gratia!

In Facultate Iuridica.

D. IO. FRIED. KAYSER,

*In Regimine & Consistorio Eccles. Director. Iur. Prof. P. O.
& Prim. nec non rerum Oeconomicarum in hac
Alma Inspector perpetuus.*

Lectionibus publicis & priuatis beneficio Principis exemptus non deerit tamen Nobiliss. Dn. Dn. Comilitonibus, si vel priuatissime a se in studiis iuris instrui, vel selectas & rariores materias pro cathedra publica ventilare voluerint.

D. FRANCISCVS IVSTVS KORTHOLT,

Prof. Iur. Ordinar. & Acad. Syndicus.

Digesta ad finem perducet. *Ius publicum* ad ductum *Illustris MOSERI*, & *ius feudale* praecunte *Per-
illustri*

illustri SENCKENBERGIO de integro explicabit.

D. GOTTLLOB AVGVSTVS IENICHEN,

Codicis & Nouellarum P. P. O.

Denuo auspicabitur recitationes *publicas* in *iuris feudale* duce BVRCARDO GOTTHELFF. STRV-
VIO, cuius *Elementa iuris feudalis* secundum eam *editionem*, quae Consult. IO. AVG. HELLFELDI cura *Ienae* 1745. 8. prodiit, & cunctarum editionum optima locupletissimaque est, singulari & accurata industria pertractabit. *Privatim* in STRVVIANAM *iurisprudentiam forensẽ* R. G. & WERNHERIANA *principia iuris ecclesiastici* commentabitur, ac disputando exercebit forensis palaestrae candidatos, aliosque erectioris iuvenes indolis, nec vllam bene de Academia, bene de iurisprudencia, bene de literis merendi praetermittet occasionem.

D. IO. ERNEST. HOEPFNER

P. P. O.

Publice textum Institutionum Iustinianearum interpretabitur; *privatim* ad BOEHMERI *elementa iurisprudentiae criminalis* & MASCOVII *principia iuris publici* commentabitur.

D. IO. CHRISTOPH. BALSER,

P. P. O.

Publice *Institutiones* interpretari perget. *Privatim*

Pandectas duce BOEHMERO & EIVSDEM *Elementa iuris canonici* exponet. Simulque pro desiderio Nobil. Dn. Commilitonum *Collegium disputatorium* ad theses ex Iure ciuili selectas instituet.

D. CHRISTOPH. LVDOV.
KOCH

Iur. Prof. P. O.

I*nstitutiones iuris civilis privati* ad ductum B. HEINECCII interpretabitur, *Origines iuris publici & feudalis Imp. Rom. Germ.* ex propria delineatione desiderantibus exponet. Horas praelectionibus suis destinatas tempestiue indicabit.

In Facultate Medica.

LVDOVICVS HENR. LEO
HILCHEN

P. P. O.

P*raelectiones in b. TEICHMEYERI institutio- nes medicinae legalis b. c. D. sedulo continuabit, iisdemque recitationes semiologicas & dieteticas addet, nec iis defuturus, qui vniuersum artis salutaris cursum exponi sibi concupiuerint.*

In Facultate Philosophica.

IOH. LVDOVIC. ALEFELD,

Philos. naturalis Prof. P. O.

IN *praelectionibus publicis* post Astronomiam physicam, quam explicare nuper coepit, ad reliqua, quae in cursu physico supersunt, consueta sibi methodo tradenda, progredietur. *Priuatim* exercitium disputatorium in selectas, praecipue vero controuersas, theses philosophicas sedulo vrgebit.

ERNESTVS THOM,

Prof. Moral. atque iuris nat. & gent.

HEINECCII *ius gentium* publice & BAVMEISTERII *ius naturae* atque *ethicam* priuatim explicabit. Neque in caeteris viuendi praeceptis tradendis partes ipsius, si requirentur, desiderabuntur.

ANDREAS BOEHM,

Log. Metaph. & Mathes. P. P. O.

Publice exercitium disputatorium instituet. *Priuatim* LOGICAM & METAPHYSICAM docebit; MATHESIN APPLICATAM explicabit collegium semestri praeterlapso inchoatum continuaturus & finiturus; denique MATHESIN PVRAM i. e. Arithmeticam, Geometriam & Trigonometriam exponet.

HENR.

HENR. CHRISTOPH. NEBEL

Eloq. & Poes. P. P. O.

DE conscribendis epistolis publice praecipiet: priuatos labores eloquentiae latinae regulis & vsui impendens HORATII poemata, ea, qua instituit, ratione, hoc semestri spatio ad finem perducet: nec in aliis, quae ad dicendi facultatem pertinent, auditorum studia deseret.

D. CHRISTOPH. LVDOV.

KOCH

Historiar. Prof. Ord. & Bibl. Acad Praefect.

Praelectionibus publicis *Historiam Regnorum Europae* duce PVFFENDORFFIO tradet. Priuatim *Historiam Imp. Rom. Germ. recentiorem* A FRIDERICO IV. AD CAROLVM VI. vsque ex delineatione Cel. SCHMAV-SII pertractabit; simulque alia hora *Historiam Germaniae* de integro aggredietur. Bibliotheca publica patebit singulis Saturni diebus horis pomeridianis.

Praeter ista, generosis quoque nobilissimisque ciuibus de luculenta *equitandi, pugnandi gladio, saltandique* palaestra, *Gallicae item & Italicae* linguae scholis, per magistros earum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.